



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 230. Qualitas debeat esse copula, ut ex ea oriatur affinitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



ea dicere matrimonium, quæ foret propositio de subiecto non supponente, si ex copula illicita hoc jure censeretur nulla nasci affinitas, Castrop. l. c. n. 5. citatis Cón. d. 32. du. 4. concl. 1. n. 4. Rebell. l. 3. de mat. q. 15. concl. 2. Hurt. d. 20. diff. 2. Jo. And. in c. 1. de convers. in fid. num. 3. Butt. ibid. n. 2. opposit. unic. Cardin. ibid. in princip. n. 1. opposit. 1. contra Nav. l. 4. consil. 111. de sponsal. cons. 7. Henriq. l. 12. c. 1. n. 2. Sanch. l. 7. d. 65. n. 9. Victor. Ledesin. &c. Ideo siquidem, spectato etiam jure naturæ, contrahitur affinitas per copulam conjugalem, quia per eam conjuges fiunt una caro, unusque sanguis, sed æquè per copulam fornicariam fornicantes fiunt una caro, dicente Apostolo 1. ad Cor. 6. v. 15. *Qui adhæret meretrici* (scilicet per copulam) *efficitur unum corpus.* Satisque colligitur ex eo, quòd Amos, 1. n. 7. tanquam scelus gravissimum reputetur, quòd pater & filius, introierunt ad eandem mulierem fornicandi gratiâ. Sed neque obstat, quòd ex ista copula fornicaria nulla nascatur propinquitas, quæ amicitiam & reverentiam excitat inter consanguineos; si filius siquidem excitari nequit ad amorem & reverentiam erga fœminam, quam ejus pater fornicariè cognovit. Nam id signum non est, non nasci exinde affinitatem, utpote ad quam id necesse non est, sed sufficit habentes copulam illicitam fieri unam carnem, ad hæc, quòd filius excitetur potiùs in concubinæ patris odium, per accidens est inde ortum, quia ea copula fuit patri & sibi infamiæ, damni alteriusve mali causa. De cætero namque nasci etiam erga talem patris concubinam reverentiam, fatis ex eo colligitur, quòd filius etiam patre mortuo horreat cum tali copula.

2. Resp. Secundò: Quod attinet jus civile, communior saltem modus & sensus loquendi habet, quòd jura civilia nullam agnoscant affinitatem illegitimam, seu ortam ex copula illicita; nullam etiam ex hac affinitatem contrahi spectato jure civili, videtur colligi ex *L. liberi. c. de nuptiis*, ubi statuitur, ne filii ducant parentum concubinas; quia id minùs religiosum & probabile est. Dum autem *L. non facile §. affines. §. Sciendum ff. de gradib. affinit.* dicitur: *sciendum est, neque cognationem neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas conjungitur* &c. non tam negatur affinitas, uti nec cognatio ex nuptiis interdictis absolute, quàm tantùm quò ad effectus civiles, scilicet successionem; sicut etiam negatur cognatio & affinitas capite diminutis, non quidem naturalis, hæc enim tolli non poterat, sed civilis in ordine ad successionem; ita Castrop. cit. p. 8. n. 6. Sed & negatur hoc ipsum, quòd ad inferendum in foro civili non esse locum affinitati ex copula illicita affertur, nimirum, quòd ex copula fornicaria non sint imposta ea nomina, quæ ex copula conjugali affinitibus, licet tamen frequenter sic non appellentur; eò quòd hæc affinitas non sit honoris, sed decoris.

*Quæst. 230. Qualis esse debeat copula, ut ex ea oriatur affinitas.*

**R**esp. Necessariò debet esse perfecta & consummata, seu talis, quæ per se apta est generationi, & quâ matrimonium consummatur; cum per illam copulam & non per aliam fiant una caro. Sanch. l. 7. d. 64. à n. 8. Ponc. l. 7. c. 33. n. 2. Cón. d. 32. du. 4. n. 46. Castrop. l. c. n. 2. Pirh. b. t. n. 22, unde deducuntur sequentia, Primò

non sufficere ad contrahendam affinitatem refertionem claustrii virginalis, seu penetrationem vas fœminei, sed requiri insuper seminationem saltem viri intra vas naturale ordinarium fœminæ, sine qua seminatione omnis alia copula inepta est ad generationem prolis; adeoque jam non sufficere copulam sodomiticam cum fœmina, neque ullam aliam pollutionem extra vas illius debitum. His non obstante textu *c. juvenis. de sponsal. §. c. fraternitati. de eo, qui cognov. consanguin. uxor.* ubi decernitur, separandum esse virum à conjugè, eò quòd sororem ejus nondum septennem duxerit, & forsitan cum ea tentaverit consummare, nec poruerit, extraordinariæ libidine polluerit; eo siquidem casu, ut Castrop. l. c. n. 3. decernitur separatio, non ob impedimentum affinitatis, sed ob impedimentum publicæ honestatis, eò quòd Papa loquatur de sponsalibus, intellige, antecederet cum dicta puella contractis. De cæterò num ex solius viri seminatione intra vas ordinarium nascatur affinitas, dependet ex eo, num sola viri seminatio sufficiat ad generationem prolis, ut habet communior medicorum; an verò insuper requiratur ad eam seminatio etiam fœminæ, uti non improbabiler sentiunt alii; illud indubitatum, dum cum illa à viro habetur copula, ex seminatione solius fœminæ non nasci affinitatem. Secundò, sufficere ad contrahendam affinitatem copulam habitam cum fœmina dormiente, ebria, amente, coacta, etiam si copula sit occultissima; quia hæc omnes copule sufficiunt ad generationem, non autem habita cum mortua, Sanch. l. c. n. 12. 13. 17. & 18. & ex eo Pirh. b. t. n. 23, cum communi.

*Quæst. 231. Num affinitas aliqua jure natura reddat matrimonium irritum.*

**1. R**esp. Primò: Matrimonium contractum in primo gradu lineæ transversæ, nimirum contractum cum uxore fratris, vel cum sorore uxoris, tamen, ut libenter fatentur omnes, contineat naturalem quandam indecentiam, propter quam sine urgentissima causa permitti non debeat (ob quam etiam vetitum in lege veteri, nempe *Levit. 18.* ubi: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudine fratris tui est*: quasi, ut Pirh. diceretur: indecens est, carnaliter conjungi cum uxore fratris propter conjunctionem & reverentiam erga fratrem) ea tamen dedecentia tanta non est, ut contractum vel contrahendum jure naturæ sit irritum, sive ut ob ipsam dicendum sit, auctorem naturæ, quæ talem denegasse affinitibus potestatem contrahendi inter se matrimonium. Ita Covar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 17. Bellarm. l. 1. de mat. c. 28. Sanch. l. 7. d. 66. n. 11. Ponc. l. 7. c. 34. n. 3. Laym. l. c. c. 6. n. 4. Castrop. cit. p. 8. n. 11. cum innumeris aliis DD. (qui varios tractatus ediderunt in defensionem matrimonii Henrici VIII, Angliæ Regis cum Catharina, quod ipse asserbat irritum esse, & ut tale declarari cupiebat; eò quòd ipsa priùs nupsisset fratri suo) cum communi contra Paludan. S. Antoninum, & alios apud Sanch. l. c. d. 52. num. 5. Constare id ipsum videtur à posteriore, dum *Deuter. 25.* etiam præcipitur univèrsim, ut frater ducat uxorem fratris sui defuncti sine liberis, ad suscitandum semen fratri suo. Dum in lege naturæ Jacob duxit duas sorores, Liam & Rachelem. Judas Thamar uxori primogeniti sui, hoc defuncto, dedit in matrimonium alterum filium suum *Genes. 38.* qui tamen in scriptura propterea non reprehenduntur. Item dum